



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Asiaticae Historiae Societatis lesv Pars ...

Libris Qvatvor Conseqventibvs Pertexens, Quae post beatum S. Xauerij
Obitum Soc. Patres ad Dei gloriam in iisdem Prouinciis gessere

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1667

34. Neophyt. in persec. constantia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11445

boino Christi Crucem constanter portauerat.] hæc disertè illius socius.

34.
Neophyt. in
persec. con-
stantia.

Potitus arce Babus, Christianos Insulæ totius seruitute damnauit, sed ij fuga vitæ periculum subire, quam seruitute Mahumetanorum, fidei maluere: igitur nocte intempesta in mare sese immittere; nauibus adnatare, Lusitanos & Patres in Amboinum peruecturis, iuuenes, pueri, senes decrepiti, matres ipsæ suspensis de collo infantibus, ab eorum parentum, fratrum maritorum consuetudine libenter exulare, quin vltro etiam mancipare se in seruos Lusitanis, vna professionis Christianæ contenti libertate ac securitate. Adolescens regij sanguinis multorum in Mauro pagorum Dominus, bello captus ab Rege Ternates, viam & ipse ad fugam nactus inops planè nudusque ab omni re ad Patres se recepit: sed inuictæ constantiæ admiratione par nobile coniugum præbuit singularæm. Erant Rodericus, & Cæcilia, Regi Tidoris consobrini, pietate confisi agnati sanguinis, tenui lembo per noctem ad eum transfugerant, aspernatus est illos Saracenus quod essent Christiani, plusque religionis odio tribuit quàm propinquitati: ad Mahometem si redirent, habiturum se illos fratrum loco, & suis ditionibus redditurum, sin autem, sibi res suas haberent: at ij nec spebus nec promissis permoti, steterunt fortiter in Christi obsequio, & necessariis ad vitam, vtcumque fouendam, defecti penitus, cœpere hortulum propriis manibus colere, cuius fructu in diem ægre & misere victitabant sed hoc vno læti quod iis liceret viuere Christianè. Non diu post quam non euicerat ab Rege barbaro fidei sanctitas ignorata, debitam cognatis pietatem, euicit necessitas; tandem enim prospectans longius Ternatensem & Lusitanorum solutum fræno, & potentiorem, arma in se versurum, & fore se regno contra illum tuendo imparem, classe properata & valida periit Amboinum, vbi apud Præfectum Regi Lusitanæ iurauit clientelam, rogauitque arcem in sua Tidore ab eo construi.

35.
Tidore arx
ædific. Chri-
stus annun-
tiat, Rex
Bacian. occi-
ditur.

Tempus ferme sub idem adfuit Baciani Rex Ioannes, summa in Lusitanos fide, rebusque illorum non minus quàm suis sollicitus; ab his tribus aduersus Saracenos initur armorum bellicque societas; sapienter omnino, nisi Tidorensis regnum militibus quos secum duxerat nudatum obiecisset in prædam Babo Molucensi, qui accepto ab suis exploratoribus triumuirum fœdere celeritate summa, tercentum nauigia expedit, quorum partem iubet opportuno loco Regem Tidoris operiri ex Amboino rediturum, & in eum æriter inuehi; partem in regnum Tidoris secum ducit, euersurus illud funditus nisi qui Regem secuti non fuerant agro, & domibus hosti derelictis, montium inaccessa propugnandæ salutis quæsiuissent. Horum inscius Tidorensis ex Amboino recesserat & tempestate disiectis nauibus, septem omni ex classe minora nauigia retinebat; cum iis in classẽ incidens Molucensem, numero ac viribus longè inferior, cedere cogitur, captusque Ternatẽm abducitur, sed ignaua custodum oscitatione, & fida suorum industria cautè vsus, aliquan-